

stiuens indiuiduum non presupponit naturam singularem, sed singularizabilem.

Ad secundum.

Ad secundum dico: quod omnes vltimae realitates sunt primo diuersae in nulla realitate communi dicta in quid de eis conuenientes: & ita non magis conuenit vna cum alia, quam cum altera. Ad impugnationem dico: quod Haecceitas Platonis aequae diuersa est ab Haecceitate Sortis, & albedinis, quantum est ex conditione talis realitatis: quia ab omnibus aequae numero differt: & quamuis postea inter Haecceitates sit alia differentia specifica, vel generica, hoc nihil efficit: quia talis diuersitas non inest illis, vt vltimae realitates sunt, sed vt sunt sub diuersis generibus, & speciebus: & idem dico de similitudine Haecceitatum Sortis, & Platonis.

Ad tertium.

Ad tertium distinguo maiore: aut illud quod conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri, constituit rem, cui competat: aut supponit eam constitutam: Si primum: maior est falsitas nam rationale conuenit homini, & repugnat Leoni; & tamen non supponit eorum distinctionem; sed eam facit inter hominem, & Leonem: si secundum: minor est falsitas: nam Sortisitas non conuenit Sorti in suo esse constituto, sed illi constituit: Vnde maior apud Doct. intelligitur in secundo sensu: & ideo non sibi contradicit, vt conflat ex eodem quodlibet. C. nec Caietanus in hoc (sicut nec in alijs multis) illum intellexit.

Ad quartum.

Ad quartum dico propositionem nostram Peripateticam esse: & omnes auctoritates Philosophi, quae oppositum docere videntur, intelligendas fore de materia totius, vt glossat Scotus, & non de materia partis, vt sibi volunt Thomista: nec talis glossa debet illis videri textus destructiuus: nam apud Arist. frequenter quidditas forma appellatur vt patet 5. Metaph. cap. de causa: & 7. Metaph. cap. de partibus definitionis: quodlibet autem habens quidditatem contractam apud eundem materia dicitur: colligiturque vtrumque ex primo Caeli, & mundi text. 2. & 95. vbi sic habetur: Cui dico caelum, dico formam: cui dico hoc caelum, dico materiam: Vnde sicut differentia specifica, quia constituit rem in suo esse formali dicitur differentia formalis: ita differentia numerica, quia constituit rem in esse indiuiduali, merito dicitur differentia indiuiduali, seu materialis, imo & materia.

Nota.

Pro quo notandum: quod natura, quae contrahitur per proprietatem indiuidualem, potest dupliciter considerari: vno modo, vt quidditas est, & vt principium essendi alicui in esse quidditativo: alio modo vt ens determinabile, diuisibile, & contrahibile per vltiorem actualitatem: primo modo natura habet rationem actus, & formae: secundum quam considerationem dixit Aristot. cap. de causa vt supra: quod forma est quod quid est: & 7. Metaph. text. 35. appellat speciem quod quid erat esse, propter quod Commentator text. 34. vult: quod quidditas sit tantum forma, & non materia, quae secundum ipsum est deferens quidditatem: & sumpta hoc modo natura, proprietates indiuidualis ad ipsam comparata dicitur materia: & ratio est: quia materia opponitur reatiue formae: & cum proprietates indiuidualis sit primo diuersa ab omni quidditate, & ha-

beat esse oppositum naturae, vt communicabile: quia intelligendo aliquam naturam creatam, non intelligitur ipsa, vt aliquid indiuisibile, & incommunicabile: imo est contra: & proprietates indiuidualis concipitur, vt incommunicabilis: sequitur, quod ipsa est primo diuersa ab omni quidditate, seu esse quidditativo: ac per consequens si quidditas dicitur forma, proprietates indiuidualis, quae illi opponitur, appellabitur materia: quare Arist. 7. Metaph. text. 41. inquit: quod in quibuslibet substantijs, quod quid est, id est cum eo, cuius est: volens expresse, quod in substantijs compositis materia, & forma, includuntur in quidditate: & explicat de naso simo, & de curuitate: & statim subdit: quod quae cumque concipiuntur cum materia, non est idem quod quid est, cum eo cuius est: vbi per materiam non intelligit alteram partem compositam sibi contradicere: ergo intelligit de materia, quae opponitur formae totius: At vero si natura sumatur secundo modo, vt determinabilis est, tunc Haecceitas appellatur actus, seu forma indiuidualis: & ita respectu diuersorum actus, vel materia, appellatur: quare optima & Peripatetica est glossa Doctoris sub.

Ad vlt.

Ad vltimum, & ad primum in conueniens dico: quod sicut compositum, ex eo quod includat materiam, & formam, non dicitur triplex substantia, sed vna composita: sic indiuiduum, ex eo quod habeat Haecceitates partiales, non dicitur nisi vnum indiuiduum totale. Ad secundum dico, non esse inconueniens: nam Haecceitas materiae est de intrinseca ratione eius, quatenus est haec, & singularis: imo implicat hanc formam vni huic materiae, nisi per Haecceitatem materiae, ad vltimum nego materiam separatam esse in actu formali, sed tantum in actu subiectiuo: esset enim tunc quoddam indiuiduum substantiae transcendentalis incompletum, & perfectibile per formam: & hoc non est contra Scotum.

ARTIC. VII.

An vniuersale sit ens?

Quamuis Doctor nulla circa hanc difficultatem referat opinionem oppositam suae conclusionis affirmantem: nihilominus circa eam potest esse prima sententia Mirandulani in expositione

1. Sententia.

Prædicamentorum, & Medici Valles controversia 9. ad Tyrones, & nostri Doctoris illuminati Francisci de Mayronis q. 7. quodlibet. (licet disputationis gratia ibi procedat) quae asserit nulla posse esse entia rationis: ac per consequens, nec vniuersale, quod si sit, necessario debet esse ens rationis. Probat per primo, si daretur ens rationis, haberet esse per potentiam apprehensiuam: sed quidquid habet esse per causam realem, qualis est talis potentia, est aliquid reale: ergo tale ens non erit rationis, sed reale: ac per consequens vniuersale pro formali non est possibile.

1. Arg.

Secundo, tale ens rationis aut est creatum, aut increatum: cum non detur medium: sed quidquid est creatum, vel increatum, est ens reale: ergo tale ens rationis, si sit possibile, erit ens reale: ac proinde si vniuersale pro formali sit possibile, vel erit ens reale, quod implicat, vel erit impossibile.

Secundum.

Secunda

2. Sententia Doctoris. 1. Nota.

Secunda sententia, & tenenda, est communis cum Doct. n. presentis: pro qua notandum primo, quod ens in sua prima diuisione diuiditur in ens reale, & in ens non reale, seu in ens rationis large: ens reale est, quod habet, seu habere potest esse, seclusa operatione alicuius potentiae operatiuae, seu quasi operatiuae: ens non reale, seu ens rationis large est, quod habet, vel habere potest esse per operationem potentiae operatiuae, vel quasi operatiuae: siue talis potentia sit cognitiua, siue appetitiua, siue motiua: quod quidem ens rationis, seu non reale, ita (claritate gratia) subdividendum existimo: ex subdivisione potentiarum, a quibus efficiuntur: vnde sicut potentia alia est operatiua proprie, & alia quasi operatiua, qualis est potentia motiua: & potentia operatiua, alia cognitiua, alia appetitiua: & vtraque alia intellectiua, & alia sensitiua: & intellectiua, alia formaliter & per se discutiuua, alia per participationem: ita ens rationis, seu ens non reale, aliud est absolute, quod habet esse a potentia proprie operatiua absolute operante: vt esse cognitum, esse visum, esse volitum, esse appetitum, esse imaginatum, & esse phantasticum: & reliqua, huiusmodi aliud est, quod habet esse a potentia motiua: vt esse dextrum, esse sinistrum: & quaecumque similes denominationes extrinsecas, quae possunt dici entia rationis per imitationem, eo modo, quo esse volitum in obiecto voluntatis appellatur a Doctore in 3. dist. 6. quaest. v. vnicam literam D. Ens rationis per participationem: & omnia entia rationis praedicta, & alia similia, dicuntur entia rationis absolute, seu derelicta: nam licet eorum esse in quadam relatione rationis transcendentali ad actus, a quibus (saltem concomitantiter) derelinquantur, consistat: quia tamen nullus talis actus est proprie comparatiuus vnius obiecti cum alio: ideo non proprie entia rationis relatiua, sed absoluta nuncupantur: & si ab actibus intellectus denominationem accipiant, primae intentiones obiectiuas: dummodo sint naturae communes: appellabuntur.

3. Nota.

Aliud est ens rationis relatiuum, quod habet esse a potentia proprie operatiua, & proprie comparatiua, ac formaliter discussiuua: & tale dicitur secunda intentio: & est duplex: aliud Logicum, aliud non Logicum: hoc secundum: aliud Grammaticum, cui reducitur Poeticum; aliud Rhetoricum: Logicum, aliud impossibile, & sine fundamento in re, & dicitur negatiuum: aliud possibile, & cum fundamento in re: & hoc est duplex: aliud priuatiuum, seu priuatiuum; aliud positiuum: & hoc adhuc duplex: aliud vniuersale, aliud non vniuersale: hoc secundum, aliud subiectibile, seu particulare, aliud singulare, seu indiuiduum. Vniuersale, seu commune; aliud transcendens, vt ens: aliud limitatum: & hoc est quinquplex: Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens: nota tamen, quod vniuersale in distribuendo, vt omnis, nullus, &c. reducitur ad intentiones communes, quibus iungitur: & si aliquid aliud ens rationis inuentum fuerit, quod hic non explicetur facillime ad praedicta reducetur.

Secundo notandum: quod sicut existentia entis realis intra suas causas est ipsamet existentia

causarum realiter, & formaliter: ita existentia entis non realis intra suas causas est ipsamet existentia obiecti, quod obijci potest potentiae, quatenus ipsam potentiam mouere potest, & quatenus virtualiter continet speciem causantem potentiam ad ipsum ens rationis terminatam: & sicut existentia entis realis extra suas causas est illa, quae ipsum existit in actu, & in esse distinctio ab esse causarum: sic existentia entis rationis extra suas causas est, quando actualiter dependet a potentia, per quam fit: eiusque notitiam terminat actualiter, quae tantum durat, quantum durat actio ad ipsius notitiam terminata: quia sicut in materialibus nunquam quis dicitur percussus, nisi detur aliquid actualiter percussum: ita in apprehensibilibus, nunquam potentia dicitur actualiter apprehendens, nisi detur aliquid actualiter apprehensum: & est contra: & sicut de existentia intra, vel extra causas diximus: sic de essentia entis rationis dicendum erit.

1. Corol.

Ex quibus inferitur primo, quod sicut essentias rerum; quia nobis ignotae sunt; per suas proprias passiones explicamus; sic essentiam entis rationis in communi; cum nobis ignota sit; per ordinem ad suam existentiam explicare necesse est: ita vt tale ens rationis sit illud, quod potest habere esse per aliquam potentiam operantem, vel quasi operantem: sicut enim ens reale, in primo distinctione 8. quaest. 4. infra literam F. & quaestione 3. quodlibet. in principio, diffinitur a Doctore: quod sit illud, quod habet esse operatione intellectus seclusa: sic ens rationis iuxta illius mentem modo praedicto notificari potest.

2. Corol.

Inferitur secundo, quod sicut potentia operatiua, per ordinem ad cuius actus sumitur existentia entis rationis, est duplex, alia absoluta, cuius actus tendit in obiectum; quin illud ad aliud comparat: & alia comparatiua, cuius actus vni comparat ad aliud: & haec, vt patet per Doctorem quodlibet. 17. lit. B. adhuc sit duplex: alia proprie, & formaliter, comparatiua; qualis est solus intellectus; alia improprie, & large: quales sunt voluntas, & sensus communis: ita ens rationis aliud est absolute, vt diximus; aliud relatiuum: & hoc adhuc duplex: aliud proprie, & formale, quod consurgit inter duo entia proprie inter se comparata; & tantum est illud, quod habet esse per actum comparatiuum intellectus: aliud large, quod inter duo entia voluta consurgit: quare secundum Doctorem vt supra, sicut non omnis comparatio fit ab intellectu; sic nec omnis relatio rationis; loquendo de relatione rationis large; resultat per actum intellectus, nec per solos actus comparatiuos; sed aliqua sunt, quae nulla comparatione presupponunt; vt relatio cogniti ad cognoscentem; & relatio denominati ad rem denominantem.

1. Conclus.

Dicendam primo, Negari non potest dari de facto entia rationis, & habere existentiam eo modo, quo eam habere possunt. Haec est communis Thomistis, & Scotistis, contra Auctores primae sententiae: probatur primo ex Arist. multis in locis maxime 5. Metaph. text. 14. & 4. Metaph. text. 13. diuidente ens, in ens reale, & apprehensionis mensuratur: igitur secundum Arist. datur ens rationis.

Secunda

Secundo, eadem est ratio scibilis, & possibilis: sed aliquod ens rationis, scilicet syllogismus, est scibile a Logica: nam de ipso aliquas passiones per se directe, & positive demonstrat: ergo tale ens rationis est possibile: imo & de facto datur, quando actualiter cognoscitur.

2. Conclu-
sio.

Dicendum secundo, ens rationis non solum dicitur habere esse per intellectum, sed per actus alterius cuiuscunque potentie operatiue, siue sit cognitiua, siue appetitiua: siue motiua. Hec est Doct. locis supra citatis, & in 1. dist. 45. & omnium suorum ibidem, contra aliquos Thomistas cum Caietano 1. p. q. 28. art. 1. §. ad hoc: & contra alios cum Araujo; Metaph. q. 1. art. 32. & cum Conimbricensibus in presenti q. 6. asserentes ens rationis tantum habere esse per intellectum, contra quos probatur conclusio.

Primo, & sumo relationem confurgentem inter duo obiecta a voluntate ordinata, & acceptata, talis relatio sequitur entitatem extremorum: sed extrema formata, & ut sunt ordinata, sunt entia rationis: ergo & talis relatio. Maior patet ex communi axioma Logicorum: quod relatio sumit entitatem a fund. mento: minor probatur: nam fundamentum illud, ut sic, non est ens reale: quia seclusa voluntatis operatione, non potest habere tale esse: ergo, ut sic, est ens rationis, seu non reale: quia inter ens reale, & non reale, seu ens rationis large sumptum non cadit medium: non enim ens rationis stricte sumptum, hoc est, ut est a ratione fabricatum, diuidit ens, simul cum ente reali, sed ens rationis large, seu ens non reale, est tale membrum diuidens: & ideo continet sub se omnia entia fabricata ab alijs potentijs preter intellectum, nec inter ipsum, ut sic, & ens reale datur aliquod medium: igitur, &c.

Nota.

Obiectum enim Conimbricensibus primo: ex tercio de anima: tantum duplex est ens, reale scilicet, & in anima, vel ens rationis: sed ad operationem entis rationis requiritur species intelligibilis, quam voluntas operari nequit: ergo nec potest entia rationis operari.

Secundo, obiectum voluntatis non est ens, sed bonum: ergo falsum asserit Scotus, voluntatem posse operari entia rationis, cum tantum feratur in bonum.

Tertio, si voluntas posset entia rationis operari, maxime, quia comparatiua dicitur: & hoc est fundamentum Scoti: sed comparatio, cum sit cognitio cum discursu, non pertinet ad voluntatem: ergo cum voluntas non sit comparatiua, non habet entia rationis.

Ad primum, & ad auctoritatem dico cum Doct. in 4. dist. 1. quaest. 2. quod potest multipliciter intelligi: primo ens in anima sumitur pro illo, quod habet esse subiectiue in anima, ut sunt species, habitus, & actus; & in hoc sensu non est contra nos: secundo sumitur pro illo, quod habet esse obiectiue in intellectu, siue sit in sua specie intelligibili relucens, siue actualiter cognoscatur: & in hoc sensu distinguo minorem: requiritur species intelligibilis immediate causans ens rationis voluntatis; nego minorem mediate autem concedo minorem, nam omnis actus voluntatis presupponit actus intellectus;

ac per consequens species intelligibiles obiectorum. Tertio tandem, sumitur ens in anima pro ente rationis: & hoc modo est duplex; ut diximus: quare iterum distinguo minorem: ad ens rationis per intellectum fabricatum requiritur species intelligibilis ab ipso intellectu abstracta, concedo: ad ens rationis per participationem, quale est, quod a voluntate fabricatur, requiritur species abstracta per ipsam voluntatem, nego minorem: sed sufficit ens reale praecognitum, ut illud voluntas alteri comparare valeat.

Ad secundum nego antecedens: nam ens sub ratione entis est etiam obiectum voluntatis, ut tenet Doct. in 1. dist. 3. quaest. 3. §. his visis de ente. Sed dato quod bonum esset obiectum voluntatis, quis illi prohibere poterit, ut duo entia bona inter se ordinet, ad hoc ut inter ea constet relatio, quae cum non sit realis, dicatur rationis large; ut intendimus?

Ad tertium, nego minorem: nam non omnis comparatio est cognitio cum discursu; sed tantum ea, quae est intellectus: unde non valet comparatio intellectus est cum discursu: ergo omnis comparatio est discursiua: arguitur enim ab inferiori ad superius affirmative.

Secundo principaliter probatur conclusio. Quodlibet obiectum a sua potentia actualiter denominatum: ut esse visum; esse cognitum, & esse dextrum, vel sinistrum; acquirit de nouo aliquid, quod antea non habebat, siue sui reali mutatione: sed tale de nouo acquiritum non potest esse aliquid reale: ergo est aliquid non reale, seu rationis large. Maior est certa: & admittitur ab Araujo ut supra: nam ante talem denominationem non denominabatur actu cognitum; nec terminabat actum potentiae, sicut tunc terminat minor patet per singula entia realia discurrendo: consequentia est legitima. Ergo, &c.

Huius argumento varie respondent aduersarij: quia maxime ab illo torquentur; primo responder Araujo; §. secundus igitur modus: notans primo cum Caietano, ut supra: quod ens rationis potest dupliciter considerari; vno modo secundum esse actuale, & formale: & sic non habet esse nisi in intelligi, seu in apprehensione rationis: ut ibidem docet D. Thomas: alio modo secundum suam, quasi proximam causam, quasi materialem; & hoc modo causatur ens rationis a voluntate; & ab imaginatiua: & ita intelligitur Scotus.

Sed haec solutio probat non stram conclusionem: nam illud esse materiale est ens rationis, de quo loquimur: nos enim non intendimus asserere de existentia actuali cuiuscunque entis rationis quoad esse intellectum; sed de quolibet ente rationis antequam intelligatur, & ut est obiectum intellectus; in illo priori: verbi gratia, esse visum; sit ens rationis large: & asserimus quod sic; ut asserit responsio data.

Quare aliter responder Rubius in tractatu de ente rationis, quaest. secunda dicens: quod tales denominationes sunt extrinsecae, & reales: quia dantur ante operationem intellectus: nam licet nullus esset intellectus, Deus diceretur vere creator; & paries visus ab aliquo animali: &c.

cum

cum ens rationis debeat cognosci ab intellectu; ideo tales denominationes non possunt esse entia rationis.

Sed contra: quia haec solutio non satisfacit argumento: tum quia petit principium, ut ens rationis sit illud quod tantum cognoscitur ab intellectu: nam ut intra dicemus, etiam secunda intentio Logica, prius habet esse, quam cognoscatur: tum etiam, quia si denominatio extrinseca est aliquid reale, & ponit aliquid in denominato: quid est illud reale, & ad quod praedicamentum pertinet? Implicat enim esse entitatem realem, & quod in aliquo praedicamento non collocetur: certe non assignari potest: nec eius exempla ei fauent: nam esse visum, esse creatorem, entia rationis large appellamus.

Praterea: quia saltem esse cognitum ab intellectu erit ens rationis: patet: nam ens rationis secundum ipsum est, quod cognoscitur ab intellectu, & nullum habet esse quam cognosci: ergo tale esse cognitum est ens rationis: sed intellectus idem ponit in obiecto cognito, quod reliqua potentia ponunt in suis obiectis, prout ab ipsis denominata dicuntur: ergo quodlibet obiectum denominatum est ens rationis: vel si hoc non: nec esse cognitum ab intellectu: quod est contra ipsum.

Respondet forsitan: quod ens rationis cognosci ab intellectu, non fit per quaecunque actum; sed solum per comparatiuum: & ideo, cum esse cognitum habeat esse per actum absolutum, non est ens rationis.

Contra: sicut se habet actus absolutus intellectus ad denominandum obiectum cognitum: ita se habet actus comparatiuus ad denominandum obiectum comparatum: cum uterque sit actus realis: ergo si esse comparatum est ens rationis, etiam esse cognitum erit ens rationis: vel neutrum erit tale.

Alij tandem, de quorum numero est Pater Didacus a Iesu, dicunt: quod licet denominationes extrinsecae non ponant aliquid in denominato per modum, in, bene tamen per modum, ad, & hoc sufficit; ut dicantur entia realia; & non entia rationis: ut putat Scotus.

Sed contra: denominatio extrinseca, secundum omnes, nihil reale ponit intrinsece inherens in re denominata: ergo illud esse, ad, non potest esse aliquid reale in obiecto viso, ita ut illi realiter inhaereat: aliter enim non denominatio extrinseca, sed intrinseca dicitur.

Respondet forte: quod illud esse, ad, nihil est aliud, quam terminare realiter actum potentiae denominantis, quae terminatio est a parte rei: sicut Deus dicitur realiter Creator ex eo solidum, quod terminat relationem, quae est in creatura.

Contra: quia licet haec doctrina sit vera, non est ad propositum: nam quavis denominatio extrinseca sic dicitur, quia non inheret denominato, sed tantum denominatione a forma illa, quae intrinsece denominati inheret: nihilominus esse denominatum, ut sic, intrinsece, & formaliter aliquid habet, quod antea non habebat: quia, ut fatetur (& bene) Rubius ut supra, ens rationis, licet sit denominatio

extrinseca, potest tamen dici denominatio intrinseca propter similitudinem, quam habet cum forma inherente: quod de qualibet extrinseca denominatione est dicendum. Et de hoc, quod dicit per similitudinem ad formam intrinsece inherentem, inquirimus, quid sit intrinsece in denominato; an sit ens reale, vel rationis: non est ens reale, ut probauimus. Ergo est ens rationis large, seu ens non reale.

Ad primam
contra has
conclusiones.

Ad argumenta: ad primum distinguo minorem: quidquid habet esse a causa reali per se primo, ac directe, concedo: secundo, & indirecte, nego minorem: & ita euenit in proposito: nam potentia intellectiua, v. g. potest considerari, vel ut potentia productiua, vel ut operatiua: primo modo quidquid producit est terminus actionis realis per se, ac primario, productus: secundo autem modo, cum solum dicatur tedere in obiectum, & circa ipsum operari vitaliter; ideo non dicitur causa productiua, sed operatiua: nec obiectum, circa quod operatur, dicitur proprie effectus, sed improprie: & hoc secundo modo dicitur ens rationis effici, & causari a potentia; hoc est: quia circa ipsum ipsa operatur.

Secundo dico: quod secunda intentio esset aliquid reale, si intellectus, & proprietates realem producerent; ceterum, quia ab illis non produciuntur, sed ab actibus ab eis causatis derelinquuntur, ideo non proprie, sed improprie dicitur causari, ac per consequens non habet proprie causam in reale.

Ad secundum, nego maiorem: nam creatum, & increatum, sunt praedicata entis realis: & ideo entia rationis nullatenus conuenire possunt: unde ens rationis nec est ens productum, nec improductum; nec dicitur habere sui causam productiuam; sed tantum operatiuam.

Ad secundam
dum.

Dicendum ultimo: Vniuersale Logicum est ens rationis actualiter existens per illum actum, a quo resultat. Haec est communis cum Doct. in corpore quaestio, & in solut. ad tertium. Probatur primo: omne ens rationis dicitur existere per ordinem ad actus potentiae, a qua fit: sed vniuersale Logicum fabricatur ab intellectu: ergo est ens rationis, & possibile existere, per ordinem ad actum, a quo resultat.

Ultima conclusio
responsum.

Secundo probatur ratione Doctoris: quam sic formo. Modus intelligendi ens, non potest esse non ens: quia sub ratione non entis nihil intelligitur: quia intelligibile mouet, id est terminat intellectum: cum enim intellectus sit virtus passiuus, non operatur, nisi moueatur ab obiecto, vel ab aliquo supplente vicem obiecti, quod intelligitur: sed vniuersale est modus intelligendi quidquid intelligitur: nam pro hoc statu vniuersale est ratio intelligendi omnis intelligibilis: ergo vniuersale non est non ens: ergo est ens, per locum ab oppositis: maior patet ex ratione & auctoritate in ipsa adductis, in quibus mouere, respectu obiecti intelligibilis, sumitur large pro terminare. Vel si sumatur stricte: debet intelligi mediate, non tamen immediate: aliter enim sibi contradiceret, nam in 2. distinct. 12. quaest. 1. Vult materiam primam, quando cognoscitur, non mouere intellectum: & idem de relationibus dicitur: & tamen cognoscuntur per se; licet immediate

ARTIC. VIII.

Per quem actum intellectus habeat esse vniuersale?

QVIA in solutione ad tertium concludit Doct. vniuersale Logicum effici ab intellectu, modo art. praecedente explicato; non tamen explicat per quem actum habeat suum esse; merito in praesenti hanc difficultatem examinare operae pretium est: circa quam non est concursus sententia Doctorum. Prima est Caietani cap. 4. de ente, & essent. 5. ad euidenciam; & 5. ex his: quem sequitur Socus quaest. 3. de vniuers. Zume 1. p. quaest. 13. art. 7. disput. 2. Vera cruz de vniuers. quaest. 2. Capreolus in 3. dist. 5. quaest. 3. quibus fauere videtur D. Thomas 1. p. quaest. 85. art. 1. qui dicunt naturam fieri actu vniuersalem per abstractionem intellectus agentis abstrahentis speciem intelligibilem illius: quam sententiam probant.

1. Sententia.

1. Argum.

Secundum.

2. Sententia.

Argumen.

3. Sententia.

1. Nota.

diare non moueant intellectum, sed mediante fundamento: & ita intelligitur autoritas Arist. Minor etiam est certa: vt alibi habet probari: ergo, &c.

Ad primam Doctoris contra hanc conclusionem. Sed contra arguit Doctor: omne, quod est, ideo est, quia vnum numero est: sed vniuersale non est vnum numero: quia praedicatur de pluribus vniuerso ergo.

Respondeo: quod Maxima illa desumpta ex doctrina Boetij non est vera, vt sonat, nam vt potest colligi ex Doct. in 4. distinct. 4. quaest. 3. ad secundum principale: prius intelligitur natura existens, quam esse vna, & non e contra. Vnde non valet: quia hoc est vnum, est existens: bene tamen e contra: quia existit, est vnum: nam cum existentia secundum aliquos sit modus intrinsecus naturae, intimior est illi, quam vnitas, quae est eius passio, & quasi effectus: quare Boetius debet intelligi concomitanter; hoc est, vnitas numeralis est conditio concomitans omne per se existens. Vnde responsio data a Doctore non est ex me re propria, sed aliorum, vt diximus in summa textus: consuetudo enim Scotica est de materijs extraordinarijs loqui secundum commune opinionem, quare non est audiendus Mauritius in hoc loco.

Ad secundam.

Ad secundam (de quo latius in praedicamento substantiae) pro nunc respondetur: quod vniuersale, median tribus secundis substantijs secundae intentionali ter sumptis, quae vt sic, sunt eius species, praedicatur de primis substantijs praedicatione signata, quae exercetur in rebus primae intentionis; sic dicendo: secunda substantia praedicatur de primis: ergo Petrus est homo: sed vniuersale praedicatur de secunda substantia; nam secunda substantia limitat illud ad substantiam praedicationalem: ergo vniuersale, suppositione personalis, praedicatur de prima substantia: & licet vniuersale limitatum ad secundam substantiam fundamentaliter sumptam, non dicat, in, sed, de; bene tamen dicit, in, & est in subiecto prout formaliter & secunde intentionali ter sumitur.

Dices: quamuis aliquid vniuersale sit ens, nempe illud, quod est substantia secunda, non tamen sequitur, quod omne vniuersale sit ens; nec vniuersale in communi, de quo hic quaeritur: patet, nam vniuersalia accidentium non dicuntur de primis substantijs.

Respondeo: quod in quolibet praedicamento est coordinatio inferiorum, & superiorum; vbi reperitur esse, in, & dici, de, quod sufficit ad rationem vniuersalis, etiam si talia vniuersalia de primis substantijs non dicantur. Vel dicatur: quod secundis substantijs conuenit dici de primis; reliquis autem vniuersalibus esse in primis: & hoc sufficit: Tertium argumentum clarum est in textu cum sua solutione.

Primo, vniuersale fit formaliter, quando natura habet in intellectu illas condiciones, cum quibus a parte rei esset vniuersalis in essendo: sed si natura poneretur a parte rei cum illa vnitate, & abstractione, quam accipit ab intellectu agente; reuera fieret vniuersalis in essendo; sicut volebat Plato. ergo, &c.

Secundo, natura abstracta per intellectum agentem non est singularis: ergo est vniuersalis: quia inter singulare, & vniuersale, non datur medium.

Tertio, quia Commentator tertio de anima text. 8. asserit intellectum agentem esse; qui facit vniuersaliter in rebus. Sed intellectus agens, secundum probabilem opinionem, tantum habet abstrahere species intelligibiles: ergo per talem abstractionem efficit vniuersale.

Secunda sententia est Durandi in 1. distinct. 3. quaest. 5. & in 2. distinct. 3. quaest. 6. quem sequuntur alij non pauci, nempe Toletus in praesenti quaest. 2. Hurtado in Metaph. disput. 5. sect. 8. asserentes vniuersale fieri per abstractionem intellectus possibilis, quae cognoscit naturam sine suis inferioribus: probatur: vniuersale est vnum aptum de pluribus praedicari: sed natura cognita, per abstractionem intellectus possibilis, est huiusmodi; vt etiam fatetur Scotus in 2. distinct. 3. quaest. 1. ergo: minor ostenditur: nam naturae sic cognitae nihil deficit; vt actualiter praedicatur praedicatione dicente; hoc est hoc; nisi actualis praedicatio, in qua ratio vniuersalis consistere nequit; quia verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem: ergo cum natura modo praedicto cognita sit apta; vt sit in pluribus; erit vniuersalis formaliter.

Tertia sententia est Doct. in 2. distinct. 3. quaest. 1. litera C. & in primo; distinctione 45. & in 4. distinct. 1. quaest. 2. quem sequitur probatior ceteris Scotistarum, asserens vniuersale Logicum resultare per actum comparatum intellectus possibilis: Pro qua notandum primo quod vniuers.

vniuersale in praedicando sumitur dupliciter, vel pro prima, vel pro secunda intentione: & pro prima adhuc est duplex: vel in potentia, vel in actu: vniuersale in potentia non est effectus alicuius intellectus, sed est in rebus, ex natura rei, vt diximus Articulis praecedentibus; & tale vniuersale cadit sub obiecto communi. Vel Physicam, vel Metaphysicam, si fuerit Physice seu Metaphysice compositum: vniuersale in actu, pro prima intentione, etiam est duplex: actuale, & habituale: habituale, quod proprie vniuersale in representando dicitur; est ipsa species intelligibilis, in qua reuelat obiectum commune, vt praesens singularibus; licet de facto semper sit in singularibus: vniuersale actuale est ipsa natura communis, quatenus est actualiter cognita ab intellectu, & in potentia propinqua, vt sit de pluribus praedicabilis: & talis natura sic cognita dicitur proprie vniuersalis in actu pro prima intentione: nam licet species dicatur representare obiectum in actu; & ideo vniuersalis in actu dicitur; sumitur ibi actus; vt opponitur potentiae; quia natura a parte rei, quae erat in potentia vniuersalis; per speciem fit actu vniuersalis: sed non sumitur actus; vt opponitur habitui: nam vt sic species est vniuersale habituale; & natura cognita vniuersale in actu, pro prima intentione. Vniuersale pro secunda intentione est proprie vniuersale Logicum, de quo quaeritur praecipue in praesenti: licet nos etiam de vniuersali pro prima intentione aliquid determinabimus.

2. Notand.

Secundo notandum: quod cum cognitio nostra scientifica pro isto statu sit abstracta causa ab intellectu, & specie intelligibili obiecti, vt probat Doct. in primo dist. 3. quaest. 7. & 8. & necessario vt talis species intelligibilis causetur in intellectu, vt concurrat cum illo; requiritur aliqua virtus, qua ipsa species producat: & talis dicitur intellectus agens; seu ipsemet intellectus vt agens; de cuius munere; quod sit; nondum constat apud Doct. vt patet quodlib. 15. sed secundum commune Scotistarum viam, intellectus agens tantum habet vnicam actionem realem, qua facit de potentia intelligibili, actu intelligibile; & de potentia vniuersali actu vniuersale: quia quidditas obiecti, quatenus in Phantasmate reuelat; & est obiectum intellectus agentis, est cum conditionibus singularibus immixta; & ideo tantum dicitur ibi in potentia intelligibilis, & vniuersalis: ceterum, ipso Phantasmate cum intellectu agente simul concurrente, per abstractionem ipsius intellectus, producit quaedam qualitas spiritualis, quae dicitur species intelligibilis, in qua ipsum obiectum reuelat, vt spiritualizatum, a conditionibus singularibus denudatum, vt actu intelligibile, ac vniuersale; & hoc est, quod communiter dicitur, intellectum agentem facere vniuersaliter in rebus, transferre obiectum de ordine in ordinem: & secundum istam viam: omnis actus intelligendi producit ab intellectu possibile: vide Doct. quodlib. 15. Bargium in 1. dist. 3. quaest. 6. formalitates fol. 107.

3. Notand.

Tertio notandum: quod actus, quo intellectus cognoscit; prout ad praesens attinet; est

duplex: alter absolutus, quo cognoscit obiectum in se, & ad se: alter comparatiuus, quo cognoscit obiectum in ordine ad aliud: rursus actus absolutus adhuc est duplex: alter directus, siue primus, quo intellectus fertur in obiectum directe, vt cum cognoscit hominem, vel chimera; alter reflexus, siue secundus, quo intellectus se ipsum reflexus cognoscit, vel suam intellectiōnem. Actus comparatiuus ex Doct. in primo dist. 23. lit. C. etiam est duplex: alter simplex, per quem intellectus vnum alteri comparat, absque compositione affirmationis vnius de alio: vt cum cognoscit patrem in ordine ad filium: alter est actus comparatiuus compositus, per quem intellectus duobus obiecta cognita comparat, vnum alteri attribuendo; vt cum animal cognitum attribuit homini etiam cognito, tanquam praedicatum sibi conueniens.

Corollar. notandum.

Ex quibus inferitur: quod sicut actus comparatiuus praesupponit actum absolutum: ita obiectum comparabile praesupponit se ipsum prius cognitum per actum absolutum, & vt habens esse primae intentionis obiectiuae; & entis rationis large: cognoscens enim intellectus naturas communes, & inferiora sua, ac conuenientiam maiorem, vel minorem, iuxta quam tribuit naturis maiorem, vel minorem vniuersaliter, generis, aut speciei, statim comparat ipsas naturas suis inferioribus; id est, cognoscit eas in ordine ad illas; & e contra: inter quae resultat duplex comparatio: alia ad ipsum actum comparantem, quae est quaedam relatio transcendentalis denominati ad denominans: alia resultat inter naturas, & inferiora, qua adiuuicem comparata dicuntur: & haec est relatio rationis secundum esse, & secunda intentio formalissime, habens pro fundamento remoto naturam communem a parte rei, & pro fundamento minus remoto, seu magis proportionato, ipsam naturam in specie reuelantem, & pro fundamento proximo, & proportionato, eandem naturam, vt cognitam, non ea cognitione, qua quidditas, & directe cognoscitur; sed alia reflexa, & abstracta, qua, vt abstracta a suis indiuiduis, contemplatur; vt satis acute notauit Bargius vt supra, fol. 134. Tandem habet pro ratione fundandi priorem comparationem ad actum comparantem, qua posita, ponitur; & quae ablata, aufertur, & definit esse: quia ideo dicitur in fieri, in esse, & in conseruari, dependere ab intellectu: quia tantum durat, quantum durat actio intellectus comparantis; & de hac secunda comparatione intelligitur Doct. in 4. dist. 1. quaest. 2. quando ait, comparationem in rebus comparatis esse secundam intentionem: quidquid dicat alij Scotistae; vt optime Auctor formalit. folio 37.

Vlt. not.

Vltimo notandum: maximum interuenire discrimen inter vniuersale Physicum, seu Metaphysicum, & inter vniuersale Logicum: nam quodlibet illorum habet esse reale actuale, & positum ex natura rei: & quando cognoscitur, est per speciem immediate illud representantem: ac tandem actus, quo cognoscitur esse absolutus, & directus, a quo tantum habet esse cognitum: at vero vniuersale Logicum in fieri, esse, &